

ORATIO FUNEBRIS
IN CELEBRI TRANSLATIONE
CORPORIS ILL. ATQUE EXCMI.

D. D. PHILIPPI BERTRANDI

EPISCOPI SALMANTICENSIS

HABITA IN REGII D. CAROLI SEMINARII SACELLO

*A PETRO ESTALA, PRESBYTERO
IN EODEM SEMINARIO RHETORE ET
GRÆCÆ LINGUÆ PROFESSORE.*



MATRITI.
APUD ANTONIUM DE SANCHA.
M D C C X C.

(2) 611421419

ORATIO FUNEBRIS
IN CELEBRI TRANSLATIONE
CORONIS ILL. ATQUE EXCML.
D. D. PHILIPPI BERTRANDI
HYSCOPSI SALMANTICENSIS
HABITA IN MON. D. CAROLI SEMINARI SACELLO
A PETRO ESTALA, PRESBYTERO
IN EODEM SEMINARIO RHETORE ET
GRÆCÆ LINGUÆ PROFESSORE.



MATRITI
AVD ANTONIVM DE SANCHEA
MDCXC.

ORATIO.

Quod in summis votis semper nobis fuerat, I. P. A. O. en adsunt sanctissimi parentis Philippi exuviæ longe dulcissimæ. Sed o miseram mortalium conditionem! Nihil ardentius quam iis potiri exoptaramus; voti compotes, ut in publica calamitate, dolori indulgemus acerbissimo. Utrumque tamen ex summa omnium nostrum in optimum parentem pietate proficisci animadverto. Nam cum ipse sanctissimus vir, quo summum nobis amorem testaretur, tanti thesauri nos potissimum heredes instituerit; pretiosam usque adeo hereditatem parvi pendere, impium fuisset ac nefarium. Sed simul aliquis dolori ac lacrymis modus esse debet, cum vulnus illud tanta iactura nobis inflictum, sed temporis decursu iam aliquanto obductum, solemnî hac parentatione refricare cogimur! Amissimus, heu! parentem amantissimum, bene-

IV

ficentissimum patronum , sanctissimum sapientissimumque pastorem , a quo omnium virtutum , omnis sapientiæ exempla & documenta nobis fas erat petere. Lumen illud longe lateque refulgens , quod solis instar ad omnia illustranda atque fovenda in supremo Ecclesiæ culmine providentia constituerat , proh dolor ! iacet extinctum. Has pietatis voces , hos desiderii ardentissimi questus statim post acerbissimum eius casum dolor a nobis exprimebat : eadem nunc iterare , & uberi fletu orbitatem deplorare nostram , perinde quasi recens clades nobis esset allata funebri hac apparatione compellimur.

Verum enimvero siquid solatii in tanta calamitate esse potest , id divino consilio nobis oblatum videmus. Hi siquidem carissimi cineres non eam tantum vim habent , ut perpetuum sint parentis amantissimi monumentum , sed ut quotidiano hoc spectaculo admoniti præclaras eius virtutes , sapientiamque miram æmulari contendamus. Magnum profecto exemplar præ oculis est propositum , A. O. : per omnes ecclesiastici ordinis gradus est ela-

V

tus , ut nostrum cuique exemplo esset ac documento.

Atque ego quidem , quoniam tanti viri merita in hac sapientissimorum hominum frequentia commemorare suscepi , vehementer optarem , ut argumenti dignitati & amplitudini ingenium atque eloquentia responderet. Id vero cum multo aliter a natura sit constitutum , temporisque angustia non minimum sint in tanta re impedimentum , hanc mihi veniam pro vestra humanitate dabitur , ut quaedam tantum ex tam multis seligam delibanda. Adeste igitur animis , A. O. & dum perfecti sapientissimique præsulis adumbratam imaginem ob oculos vobis exhibeo , vestro silentio & audiendi studio favete.

Ea plerumque esse solet hominum amentia , nihil ut in viris illustribus mirentur, nisi quod oculos suo splendore percellit: nobilitatem , honores , dignitates , veluti quaedam supra humanam conditionem posita , attoniti suspiciunt : ceterum virtutem , sapientiam , pietatem , quibus vera

VI

paratur gloria , obiter prætergrediuntur. Ego vero cum parentem nostrum Philippum animo cogito , non eius dignitates , sed merita , quibus ad tantum fastigium pervenit , arbitror suspicienda. Nihil existimo eius laudibus accessisse quod iis honoribus exornaretur , qui forte in hominem non magni pretii possent cadere ; sed quod suis ipse meritis omnes , quos obtinuit , honoris gradus nobilitavit.

Atque eius profecto gloria non ita magna videri deberet , si iis in populis sanctissimus præsul exstisset , ubi qui paulo attentius tanto muneri invigilat , omnium in se oculos præ talium exemplorum insolentia convertit. At in Hispania nostra quam arduum ac difficile , tot inter Ecclesiæ lumina , præcipuo quodam splendore fulgere ! Nota est profecto , & apud omnes gentes celebrata Hispanorum præsulum virtus ac sapientia ; ipsaque exterorum impiorumque nebulonum invidia , cum nos nostraque conviciis discerpant , hanc Episcopis nostris meritam laudem reddere cogitur. Hos inter Philippus noster caput extulit : cum tantis viris non

VII

de potentia aut opibus, sed de sapientia ac virtute contendit, longeque superavit. Huic se certamini velut comparans, quamquam aliud intendens, sic vitam, sic studia ab ipsa pene pueritia instituit, ut vix adolescentiam egressus, pastor optimus esse posset; sic pastorem egit, ut præsulis curis par videretur; sic pontificis officia obivit, ut difficillima ecclesiastici ordinis provincia ei fuerit demandata.

Sed in tam immensa rerum copia quid potissimum hoc brevissimo spatio in medium proferam? At enim cum heros noster dignissimum suæ virtutis præconem sit nactus, qui pro sua singulari eloquentia ac ingenio præstanti, sanctissimi vires præclare gestas ornate, copiose, diligenterque his diebus est consecutus; eadem nunc si vellem iterare, vestra patientia temporisque brevitate abuterer. Quare ne actum agere videar, aut crambem recoctam proponere, ceteris omnibus posthabitis, in excelso iam atque editissimo fastigio lumen hoc fulgidissimum contemblemur.

Magni profecto, minimeque vulgaris

VIII

animi est , parem se in utraque fortuna præbere ; ac supremi numinis instar minimis pariter maximisque rebus eandem providentiam impendere. Philippi porro nostri æquum ad omnia animum , quæso , recordamini : cuncta circa eum nova vitæ conditio , virum plane constantem nihil immutavit. Non læta , & iucunda pontificii muneris , sed aspera & dura , ut id capesseret impulerunt. Noverat profecto , qua erat sacrarum litterarum peritia , cum scelere , cum amentia , cum vitiis omnibus sibi decertandum : noverat , opportune & importune instandum , arguendum , increpandum in omni patientia & doctrina : noverat , id sibi negotium dari , ut populos sibi creditos in officio & pietate suis documentis , suis exemplis contineret. Hæc omnia noverat , neque rei difficultate deterretur : o miram constantiam ac fortitudinem !

Hæc ego non dicerem , si ex eorum numero pontifex noster fuisset , qui honores , non onera captant , qui dulcia tantum , & splendida per summum nefas in tam arduo munere consecantur ; ceterum

IX

curas , labores , ærumnas ad kalendas græcas reiicientes in utramque aurem iucunde ac molliter indormiunt. Nostis probe , quam nova atque inaudita via sanctissimus ille vir ad episcopatum pervenerit; nihil ille , ut præsul fieret , agitavit , nihil egit , nisi quod meruit & paruit. Nunquam profecto alias divini numinis providentia in huiusmodi munere mandando apertius innotuit : neminem unquam sanctissimus vir prensaverat , nullum ex aula aut ex senatu noverat , nunquam urbem regiam , potentiorumve limina intraverat : cum ex insperato CAROLUS ille religiosus , velut mente divinitus monita eum absentem , nihilque tale cogitantem nostræ Ecclesiæ destinavit.

O faustum lætumque diem illum , quo tanto thesauro potiri nobis contigit! Primo statim adventu in hanc urbem , qualis quantusque esset futurus , coepit indicare: patientiorem campum , in quo liberius posset excurrere , beneficentia eius nacta , totas habenas effudit. Forte tunc temporis frumenti inopia cives nostri laborabant , haud sine divino consilio credide-

X

rim , ut materies eius gloriæ præsternere-
tur , civesque statim tali ex initio benefi-
centissimi præsulis experimentum possent
capere. Sed quam acerbo dolore humanis-
simus eius animus angebatur , cum ero-
gatis iam suis omnibus in pauperes fa-
cultatibus , nihil iam sibi reliquum esse
viderit , quo indigentibus subveniret ?
Vos , vos testes appello , qui eius lacry-
mis ac questibus quotidie aderatis , qui
eum omni prorsus suppellectili sese ex-
spoliare conantem bis terque continuistis.
Fecissetque profecto , vobis frustra obni-
tentibus , nisi ad id eius temporis discrimen magna argenti summa prope divini-
tus fuisset adiutus. Quibus tunc gaudiis
exultantem vidistis ! quanta elatum læti-
tia, cum suæ benefaciendi voluptati largius
iam posset indulgere!

Hæc beneficentiæ virtus , omnium du-
bio procul maxima , sic in eo semper eni-
tuit , ut non studio comparata , sed a na-
tura ei indita videretur. Minime opus ha-
beo , ut in ieiuna sterilique materia , sin-
gula quæque longius persequi : omnium
vestrum memoriam imploro , qui sum-

XI

mam eius & inexhaustam liberalitatem perpetuo estis mirati. Nota est & apud omnes pervagata ejus vox, qua veluti per jocum querebatur, se per omnes vitæ gradus ære alieno obstrictum semper vixisse, futurumque sperare, ut pari conditione reliquam ætatem duceret. Nec id eo fiebat, quod pauperum thesauro ædificando, aut propinquis cognatisve suis largiendo, per luxum aut magnificentiam impie disperderet: perspecta vobis est sanctissimi præsulis frugalitas, nota æquitas ac temperantia. Curta admodum vilique suppellectili sibi suisque contentus, *cibi potusque abstinentissimus*, reliqua omnia suis creditoribus, pauperibus, summa religione reddebat. Nec id quidem sibi usurpabat, quod bene multi ad corporis cultum, Principum instar, impendere, fas sibi esse arbitrantur. Suam frugalitatem modestiamque pauperum vectigalem fecerat; plurima sibi etiam ex necessariis ad vitam detrahere solitus, quo fiebat, ut non ita multi in summa egestate atque squalore tabescerent.

○ Iam vero quantam voluptatem ex hac

XII

re caperet, non leve argumentum est, quod suis ipse manibus stipem quotidie erogare gauderet. Tantam vero comitatem, patientiam, alacritatem ad hoc humanitatis opus adhibebat, ut aliquando pauperum undique confluentium turba & impetu in terram deiectus prostratus iacuerit, quin ea iniuria quicquam de sua facilitate amitteret, segniorve eo die, aut in posterum ad idem præstandum redderetur.

Fuit hæc profecto virtus in Philippo nostro miranda: sed nisi aliis bene multis sanctissimus vir fuisset instructus, benefici quidem hominis gloriam reportasset, perfecti vero præsulis partes nondum implevisset. Magnum est, ita parce ac duriter vivere, ut miseri atque egentes non ita multis ærumnis premantur: magnum, omnes gentilitatis affectus exuere, ne pauperum spolia cognatorum & affinium patrimonia fiant. Sed longe maius, nullam sibi requiem dare, quo populorum æternæ saluti prospiciat, animisque medendis eandem curam adhibeat, qua corporum commodis invigilat. In hoc summa pastoralis muneris difficultas vertitur: hac

XIII

in parte Philippus noster seipsum superavit.

Recordamini per Deum immortalem, quam ardenti studio ad animarum salutem præsul sanctissimus incubuerit; quam nulli nec labori, nec molestiæ pepercerit, quo populi sibi crediti bonis moribus imbuerentur. Id vero qua alia ratione assequi valeret, nisi divini verbi disseminandi studio se totum tradidisset. Fecit hoc Philippus noster, fecitque ardentius, ut qui optime nosset, inter prima ac præcipua episcopatus officia concionandi munus censi; nihilque strictius iure divino atque ecclesiastico præsulibus iniungi, quam frequenter ad populum verba facere, idemque per sacerdotes eorum ministros ubique populorum præstare.

Cui præcipuo ac arduo muneri quanto animi ardore, qua frequentia, quo successu Philippus noster incubuerit, quid opus est a me longiore oratione commemorari, cum vos omnes testes optimi exstiteritis? Nimium, o vos felices, quibus auream illam facundiam, vehemen-

XIV

tém illam dicendi vim , incredibiles illos animi motus , eloquentiam denique illam non fucata , sed SS. Ecclesiæ PP. æmulam auscultare , sentire , mirari contigit ! Sed quamvis ea vobis nota penitusque perspecta esse cognosco , tamen a me in dicendo , breviter licet , non sunt prætereunda.

Quis enim silentio premat mirum illum pietatis ardorem , qui non satis habuit , ad populum concionari , sed ut suo studio largius indulgeret , perpetuas illas conciones , quæ missiones nuncupantur , per se habere non semel sustinuit ? Nec id tantum in hac urbe semel iterumque præstitit , sed per totam provinciam divini verbi præconium circumferens , & populos ad mores emendandos , pietatemque colendam excitabat , & sacerdotes tanto exemplo ad huiusmodi munus obeundum veluti cogebat.

At cum sanctissimus præsul in ea re exerceretur , non tam rem ipsam , quam modum cordatiores mirabantur. Quam nihili disertis & eloquentis laudem dissertissimus facundissimusque vir faciebat , qui

XV

& orationem suam audientium captui summitteret , recisisque omnibus ornamentis eruditionisque pompa , simplici quidem sed gravi ac maiestatis pleno stilo sacra Religionis dogmata ac documenta vel rudioribus plana aperta que reddebat! Quid quod non alienum a sua dignitate putabat pueros ipsos Religionis rudimentis erudiendos suscipere? Mirum oh! iucundissimumque omnium spectaculum! Sanctissimus præsul hinc inde pauperum puerorum turba obsitus , qui oculis manibusque puerili affectu ac candore in optimum parentem elatis , eum blandiusculis vocibus interpellant & undique premunt, ipse vero non secus ac quondam divinus Servator noster , parvulos ad se allicit , complectitur , tenellas eorum linguas ad divina verba , Religionisque documenta informat tanta humanitate tam renidenti & alacri vultu , ut vix sine lacrymis iucundissimo hoc spectaculo frui liceret.

Age vero , quid non excogitavit ardentissimo eius pietatis disseminandæ studio , ut sua verba unde quaque exaudirentur? Nec enim contentus assiduis suis ad

XVI

populum orationibus , arrepta ex quavis re occasione , quas epistolas , bone Deus, ad suos administros populosque dare consuevit! Quam mihi acerbum ac durum, A. O. temporis angustiis ita premi, ut earum argumenta, vividamque eloquentiam singillatim perpendere, dignisque laudibus cumulare nequeam! Sed divinam illam, quæ de concionandi officio inscribitur, quis obiter & perfunctorie prætereat? Oculos animumque studiosissime in eam conicite, quotquot sacro ministerio estis addicti; inde quæ sint vestræ partes, qua ratione tanto officio satisfaciendum, discite: divinam illam facundiam, dicendi nervos, immensam illam eruditionem ac sapientiam æmulamini, si huic muneri pares esse contenditis. Atque huius præsertim epistolæ ideo mentionem præcipuam feci, quod ea me breviorum in iis recensendis facit, quæ hac de re dici oportet. Nam cum tam diserte ac sapienter hoc officium sacerdotibus inculcaverit; quis in dubium vocare poterit, quin vir doctissimus, & in suo munere implendo summe religiosus, quæ aliis præcipiebat,

XVII

ipse cumulatissime exsequeretur?

Quid de eius zelo dicam, quod tot optimis testibus frigidum ac vulgare non videatur? Sed quoniam aliquid de eo quoque dicendum, quod unum integram copiosamque orationem postularet, oculos, quæso, per hanc urbem, per totam provinciam, per singulos ordines circumferte, & ubique mira suæ vigilantia vestigia deprehendetis. Vix hanc urbem ingressus, quædam vitia, quæ pietatis exstiterant offendicula gravissima, irrepsisse cognoscens, tanto animi ardore ad ea penitus eradicanda incubuit, ut tandem radicitus evelleret. Pari studio ac vigilantia quæcumque censura digna per singulos populos fierent, diligenter conquirebat; nullamque sibi requiem dabat, donec pessima exempla funditus eliminarentur. Sed quid ego singula persequor? testes ardentissimi eius pro tuenda pietate studii sapientissima illa edicta, quæ ad omnium documentum simul cum epistolis publici iuris sunt facta: testis Ecclesiæ disciplina in multis capitibus restituta: testis morum depravatorum correctio: te-

XVIII

stes denique iam omnes totius provinciæ populi, ubi eius vigilantia præclara exstant monumenta.

Sed quanto pietatis ardore teneretur, tunc vel maxime perspicere poterat, cum de sacerdote alicui Ecclesiæ præficiendo agebatur. Videbat sapientissimus præsul exinde populorum felicitatem ordinis-que sacri decus ac splendorem pendere: in quo quidem iudicio ne falleretur, quantum diligentiam adhibere consuevit! Non per internuncios ac interpretes de sacerdotum præficiendorum moribus, doctrina, pietate certior fiebat; sed ipse quærebat, investigabat, periculumque coram diu multumque faciebat. Nec iudicium tantum optimorum virorum, sui-que ipsius ad hoc opus adhibebat, sed D. O. M. enixis precibus in consilium vocabat. Quamvis enim familiare ei esset ac solemne Deo precando atque implorando quotidie vacare, tunc id vehementius ac diutius maximis fletibus ac supplicibus votis præstabat. Tanta diligentia in hac re fuit, ut cum nullum satis tempus ad disquirendos sacerdotum præficiendorum mores & in-

XIX

genia sibi videretur , religione aliquando ad rem expediendam fuerit adigendus. Nec satis habebat , sacerdotis mores & doctrinam suis votis respondere , sed an eius ingenium populo , cui parabatur , commode aptaretur , diligentissime perquirebat. Cum vero iam sibi certum esset ac constitutum , aliquem præficere , de populi natura , moribus , ingeniis eum diligenter monebat. Atque adeo priusquam sedem suam quisque vidisset , sapientissimi præsulis monitis ita doctus evadebat , ut quod plurium annorum experientia vix cognoscere potuisset , primo statim adventu iam esset ei notum penitusque perspectum.

Mirum fortasse , & ornate potius quam vere dictum videri poterit , tam exactam accuratamque non solum populorum , sed singulorum hominum notitiam præsulem nostrum habuisse : sed qua ratione eam comparaverit , breviter , quæso , advertite. Cum provinciam suam invisebat , non id obiter & perfunctorie exsequebatur. Noverat profecto , inter præcipua Episcopi officia visitationem iniunctam ; nec minus perspectum habebat , quibus de causis

ea esset sacris Ecclesiæ decretis præscripta peragratio. Nimirum pontifices , ut nubes pluviam , sic verbi divini præconium , egregia exempla & documenta quaqua-versum debent circumferre ; pastores , suum gregem nosse & curare ; divini numinis vices in terris gerentes , omnibus opem & solatium & salutem importare ; primi Religionis morumque moderatores , qua ratione sui administri ea curent , inspicere. Quæ quidem omnia officia qua vigilantia , quo studio obire solebat !

Cum primum provinciam suam invisere suscepit , nihil habuit antiquius , quam ut de omnibus , quæ in suam rem fore credebat , fieret certior. Longos ac diuturnos cum pastoribus sermones seorsim habere , singula quæque summa diligentia perquirere , notatu digniora in album referre : omnibus vel humilibus rusticis facilis ad eum accessus patebat , immo ipse humanissime invitabat ; diligenter eos sciscitari , eorum audire querimonias , neminem ab se non recreatum dimittere. Hac arte nihil ei erat abditum : hinc rectissi-

XXI

mæ illæ in pastoribus præficiendis electiones, hinc sapientissima illa decreta, quibus cuique morbo præsentissimum remedium adhibebat.

Sed alio me vocat immensa præsulis nostri gloria. Quis non miretur singularem illam liberalitatem, qua tot novas pastorum sedes instituit? Magnum hoc eius erga suos subditos amoris indicium, maximumque integritatis argumentum, eos census novis pastoribus alendis destinasse, quibus ceteri familiares amicosque sibi parabant ac devinciebant. Nullum vero finem facerem, si plurima adducerem argumenta, quibus hunc præcipuum erga suos populos amorem est testatus. Meministis enim, quanta diligentia sit ab eo cautum, nequis exterorum in huius provinciæ Ecclesias irreperet, quod malum superiorum temporum incuria percrebuerat: meministis, peregrinos pauperes ubi semel stipe sublevasset, ne iterum reverterentur, admonitos solitum dimittere: nec quemquam vestrum latet, cum iam in urbe regia supremus Religionis vindex esset constitutus, quanta facilitate ac co-

XXII

mitate vel humiliores ex hac provincia exciperet , primoribus ex aula regia propter multa negotia exclusis. Maximum vero amoris testimonium postremo iisdem reliquit , cum magnum argenti pondus pauperibus nostris erogandum testamento legavit : quod ne perficeretur , quid impedimento fuerit , norunt bene multi , mihi religio est propalare.

Cetera vero ejus in hanc provinciam beneficia cumulavit ac perfecit , cum ut optimo Ecclesiarum regimini ac populorum utilitatibus consuleret , hoc Seminarium instituit , omnibusque ad rem necessariis instruxit & ornavit. Quantum , bone Deus , laboris ad tantam rem perficiendam exantlavit , quot obtrectiones vicit , quanta impedimenta , quæ omnem patientiam vincerent , ipse indeiectus indefessusque superavit ! Quanta hinc commoda , quot utilitates Ecclesia ac ipsi populi sunt aliquando percepturi ! Sed ne me putetis lassum iam ac defatigatum ad tantum opus celebrandum , novam inceptare orationem conari ; propositum mihi est Philippum ipsum , non Philip-

XXIII

pi facta laudare ; & alioqui verendum mihi esset , ne quibus nos nostraque per insolentiam laudibus extollere viderer.

Sed quis dignis laudibus prædicet , qua sapientia & æquitate provinciam sibi demandatam administraverit , quot ubique pietatis ac beneficentiæ monumenta reliquerit? Taceo qua constantia sacri ministerii eius sacrosanctum decus & auctoritatem sarta tectaque contra inconsultos amentia conatus tutatus fuerit : non commemorabo , quanta diligentia sacerdotum honori consuleret , cum eorum res graviores per se ipse , ne in vulgus proferrentur , componeret , nullius ad id opera, vel ad litteras exarandas , usus. Hæc aliaque plurima, quæ vel sola ad cuiusque laudem sufficerent , tanta sunt , ut si in singulis vellem tantisper immorari , ad universa proculdubio deficerem.

His tot virtutibus ac meritis angusta admodum hæc iam provincia erat : iam universam Hispaniam tanti herois gloria pervaserat , totamque suis laudibus impleverat. Quanta te tui operis, CAROLE auguste , voluptas cepit , cum tuum illum

XXIV

Episcopum tuo iudicio, tuis votis tam cumulate respondere, audiebas! Hinc factum est, ut cum de Religionis morumque Censore supremo creando ageretur, inter tot sanctissimos sapientissimosque Hispaniæ præsules Philippus noster magna Principis voluptate, maximo omnium ordinum plausu diceretur. O magnam CAROLI religiosi gloriam, cui tantum lumen ad Ecclesiæ splendorem circumferre, & in editissimo loco constituere contigit! sed sanctissimi præsulis certe ampliorem, qui nulli non dignitati par, iis omnibus in gerendo maior inveniebatur!

Neminem vestrum latet, quot virtutibus, quanta sapientia, æquitate & vigilantia eum esse instructum oporteat, cui tam ardua Religionis tuendæ, pietatis promovendæ, morumque inspiciendorum provincia sit pro rei dignitate sustinenda. Hæc vero omnia, quamvis semper in tanto munere fuerint necessaria, ea præsertim tempestate maximopere requirebantur. Impietas enim cum probe sciret, nullum sibi aditum in nostrum imperium patere, si fronte detecta ingredi tentaret, larvam

XXV

quamdam humanitatis omniumque virtutum induerat , quo latenter irrepens impune grassaretur. Huic tam tetrae pesti , tam effrenato huic monstro Philippus noster obiicitur. Non illum a tam diro certamine quicquam potuit deterrere : hominum potentiam despexit , vitæ denique periculum , si esset opus , adire non recusasset. Quantæ vero virtutis , quantæ fortitudinis , tantam rem incipere! Sed quantæ prudentiæ atque humanitatis nullo tumultu , nulla sævitia res tam perditas in integrum restituere , hominesque devios ac errantes blande ac comiter ab illo impietatis barathro revocasse ! Plura iam de hac re non dicam : horret animus tam effrenem hominum amentiam meminisse , & alioquin res ipsa tam vulgata ac celebrata per omnium ora fertur , ut in ea enarranda mea opera & vestra patientia abuterer.

Sed quid opus singula suæ vigilantia , ardentissimique pietatis studii exempla referre? Nonne , cognita eius virtute ac sapientia , intelligendum datur , nihil eum , quod ad sui muneris partes pertineret, ne-

XXVI

gligere potuisse? Qui nondum tanta auctoritate præditus superstitionem in hac provincia edicto cohibuerat, quid iam in eo loco constitutum fecisse, autumabimus? Multa vidimus, non pauca audivimus egregia eius in hoc munere facta; sed plurima eaque pulcherrima altissimo illius sacri Senatus silentio iure meritoque premuntur; quæ si in vulgus proferrentur, quot quantaque eius in Religionem moresque merita apparerent! Id tantum novimus, neminem unquam in ea dignitate tanta auctoritate apud Principes, regios administratos ac primarios aulæ reipublicæque viros valuisse: ex quo quidem coniecturam facere licet, quantam sibi apud omnes ordines existimationem suis virtutibus, sua sapientia peperisset.

Quod necui gratis dictum videatur, vestram omnium fidem testor, quibus tanti sideris splendorem propius intueri contigit. Quæ res unquam paulo gravior, quæ ad reipublicæ utilitatem pertineret, absque eius auctoritate est gesta? quid circa Religionem moresque non per illum? Tanta rei bene gerendæ spes in eius pru-

XXVII

dentia constituebatur , ut nulla res tam a suo munere aliena in disceptationem veniret , de qua eius sententia non exquiretur. De coloniis deducendis , de conscribendis militibus , de reipublicæ commodis in regia Curia aut in Senatu agebatur , & non secus ac quondam Delphicum , sic sapientissimum hoc veritatis , ac prudentiæ oraculum consulebatur. Ea siquidem erat Principi illi religioso persuasio , multis succesibus concepta ac confirmata , nulla alia via veritati faciliorem ad se aditum patere , quam si eam ex ore sanctissimi præsulis exquireret. Quid autem mirum , tantam spem veritatis obtinendæ , rei que optime expediendæ in eo iam satis spectato constitui , cum sciatis omnes , quam difficiles ac arduæ res per eum adhuc in hac urbe existentem sint compositæ? Hæc vero singularis auctoritas tot succesibus in dies magis magisque aucta , quot reipublicæ utilitates , quanta Religioni commoda attulerit , mentibus vestris animisque considerandum relinquo.

Credentne posteri , tantum virum , amplissima Ecclesiæ dignitate fulgentem,

XXVIII

honorificentissimo CAROLI Tertii Ordine insignitum , maxima apud proceres Principemque ipsum gratia pollentem , animos cum fortuna non sustulisse , nec latum unguem a modestia virtutumque omnium amore deflexisse? Felices vos , quibus postremis vitæ suæ annis tanto spectaculo adesse licuit! Nonne inter tot curarum negotiorumque tumultus ardentius in dies Deo precando insistere , in illo felicitatis humanæ culmine abiectius ac demissius de se sentire , pietatis ardorem , ceterasque virtutes quotidie velut augescere estis mirati? Postremo tamen vitæ suæ anno , omnibus humanis rebus longe valere iussis , id unum egit , ut æternæ suæ saluti diligentius consuleret. Quot quantaque virtutum exempla , ne sim longior , mihi sunt hoc loco prætereunda! Nihil de invicta illa patientia , qua dolores pertulit acerbissimos , dicam ; nihil de ardentissima illa pietate , qua , diebus saltem festis , sacro Servatoris nostri corpore reficiebatur , quoniam rem divinam facere , morbo impeditus nequibat ; nihil denique de assidua illa Deum depre-

XXIX

candi vigilantia , ut se ad ultimum certamen compararet.

At quo vultu , quo animo id accedens , adspexit ! non deiecto , non perturbato , ut hi solent , qui per omnem vitam aut vitia sectando , aut alia omnia agendo , nunquam hunc sibi scopum in rebus omnibus proposuerant . Noster vero sanctissimus pontifex , qui in hanc metam oculos intentos semper habuerat , cui cum divo Paulo verissime dicere licebat , *bonum certamen certavi , cursum consummavi , fidem servavi* , quanta animi tranquillitate , quanta , potius dixerim , lætitia tot laborum mercedem iam adesse conspexit ! Evola tandem , beatissima anima , immortalia præmia tuis immortalibus factis promerita capesse . Quibus quantisque gaudiis in illa æternæ felicitatis luce exultabis ! quibus quantisque doloribus in his ærumnarum tenebris tuo , heu ! discessu nos miseros relinquis abiectos !

En vobis , adolescentes optimi , rudem quamdam sed veram , adumbratam sed non absimilem sanctissimi parentis imaginem . Hic qui per tot labores ac mo-

XXX

lestias hanc vobis paravit litterarum pietatisque sedem ac domicilium qui inter tantas muneris sui curas nullam vestris commodis antiquiorem habuit ; hic denique, cui plus quam suo quisque parenti , universi pietatem , obsequium , gratamque memoriam debetis , maximum erga vos amoris monumentum in his dulcissimis exuviis vobis ostentat. Non lacrymas, vana & incerta doloris signa , a vobis repetit ; sed filiorum pietatem , filiorum obsequium , idque perpetuum ac sincerum. Felices vos , si eius sapientiam virtutesque , velut hereditate vobis relicta , in vestris animis exprimere contenditis : nimium oh ! inconsultos ac ingratos , si a tanto parente degeneres sanctissimas eius leges vel latum unguem transgredimini ! Cavete heu ! & sacros illius cineres violare perhorrescite. Non vanam humanæ superbiam pompam spectaculumve vobis afferunt ; sed exemplum , sed vestri officii monentem vocem , quam improbum quemque nostrarum legum temeratorem tacite alloquentem , horrendumque intonantem audire videor : „Siccine agis, sce-

XXXI

„leste? hancine gratiam tot meis benefa-
 „ctis refers? Quem tot devinctum benefi-
 „ciis mea vestigia premere decebat, hunc
 „video mea documenta respuentem, le-
 „gesque proculcantem? Quæ te dementia,
 „inconsulte adolescens, agit præcipitem,
 „ut pro labore desidiam, pro litterarum
 „pietatisque studio nugas conseceris ex-
 „secrandas? O frustra susceptos tot meos
 „labores & curas! o spes male collocatas!
 „Per ego te, fili, Deum immortalem, divi-
 „naque & humana omnia, oro quæsoque,
 „ne meos cineres turpi hac vita incestare
 „pergas. Quod si tibi certum est ac con-
 „stitutum ita facere, egredere tandem ex
 „tot piorum adolescentium cœtu; purga
 „domum:: Ah! in meliorem mentem re-
 „di, fili, mea exempla, mea documenta,
 „siquid de te tot benefactis merui, æmu-
 „lare, amplectere.“

Hæc inquam vox, adolescentes optimi,
 dies noctesque auribus vestris insonet: ve-
 stris studiis, factis dictisque omnibus ma-
 gnam eius umbram adstare fingite animo:
 sic profecto fiet, ut tanto exemplo alacrio-
 res in dies ad studia & pietatem efficiamini.

XXXII

Nobis vero, A. O. maximas Deo immortali gratias habendas agendasque censeo, quod tale tantumque Ecclesiæ decus & ornamentum nobis conspiciendum fruendumque concessit: maximas etiam quod tantam iacturam tanto successore rependerit, qui unus inventus est illius sede dignissimus. Et quoniam nulla tanta ac tam probata mortalibus virtus in homine esse potest, quæ supremi numinis iudicio ab omni prorsus labe videatur libera; D. O. M. enixe comprecemur, ut siquid adhuc Philippo nostro exsolvendum restat, id nostris precibus supplicibusque votis velit condonare. *Dixi.*

INSCRIPCION SEPULCRAL.

REGI. SAEC. IMMORT

ILL. ET. EXC. D. D. PHILIPPUS. BERTRANDUS. SERRANO-GALCERANENSIS
VALENTINUS. METROPOLITANAE. EIUSD. URB. ECCLESIAE. CANONICUS
SACRAE. SCRIPT. INTERPRES. EPISCOPUS. SALMANT
REGII. EQUESTRIS. ORDINIS. CAROLI. III. MAGNO. STEMMATE. INSIGNITUS
SUMMUS. PER. UNIVERS. HISPAN. DITIONEM. VIOLATAE. RELIGIONIS
CRIMINUM. VINDEXT
SINGULARI. PRAESUL. PIETATE. PRUDENTIA. LENITATE. AC. MISERICORDIA
FORMA. DENIQUE. FACTUS. GREGIS. EX. ANIMO. INTER. HUIUS. SEMINARI
AB. EO. INSTITUTI. CENSU. BIBLIOTHECA. LEGIBUS. AUCTIONIBUS. ALUMNOS
QUOS. VIVENS. IN. DELICIAS. HABUIT. RESURRECTIONEM. EXSPECTAT
HOMINEM. EXUIT. MATRITI. KALEND. DECEMB. AN. MDCCLXXXIII
ANNOS. NATUS. LXXIX

EXUVIAE. EX. TESTAMENTO. INDE. TRANSLATAE. AB. ILL. EPISCOPO. ET
CAPITULO. SALMANTICENSI. HUIC. LOCULO. CREDITAE. PRID. ID
OCT. MDCCLXXXIX

INSCRIPTION SETUTICRAL

REGI SAHO IMMORT

REGI SAHO IMMORT

REGI SAHO IMMORT

REGI SAHO IMMORT

REGI SAHO IMMORT

REGI SAHO IMMORT

REGI SAHO IMMORT

REGI SAHO IMMORT

REGI SAHO IMMORT

REGI SAHO IMMORT

REGI SAHO IMMORT

REGI SAHO IMMORT

REGI SAHO IMMORT

REGI SAHO IMMORT

REGI SAHO IMMORT

REGI SAHO IMMORT

En la memoria sepulcral que se erigió en la capilla
del Seminario sobre la lápida en que está la
inscripcion antecedente, dice:

D. O. M

ILL. ATQUE EXC. D

D. PHILIPPO. BERTRANDO

EPISCOPO. SALMANTICENSI

SEMINARIUM

CONDITORI. PARENTIQUE. DILECTISSIMO

LUBENS. LUGENSQUE

P

En la memoria sepulcral que se erigió en la capilla
del Seminario sobre la lápida en que está la
inscripción antecedente, dice:

D. O. M.



ILL. ATQUE
D. PHILIPPO
EPISCOPO. S.
SEM. S.

CONDITORI. PARENTI. DILECTISSIMO
LUBENS. LUGENSQUE

P













